



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus  
voluntate et providentia]

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. III. Solvuntur objectiones

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)



DISPUTATIO PRO O E M I A L I S

2

tam esse virtutes intellectuales : scilicet habitum primorum principiorum, qui dicitur intellectus, & versatur circa prima principia, immediate nota : sapientiam, quae est notitia rerum divinarum per altissimas causas; scientiam, quae est notitia per demonstrationem acquisita: prudentiam, quae definitur habitus cum vera ratione activus, seu dirigens honestatem morum; & artem, quae est habitus cum vera ratione effectivus, seu praescribens modum rei alicujus efficiendae.

Notandum quartò : quod sicut aliquis potest esse verè & substantialiter homo, quamvis non sit perfectus homo; ut constat in puero, qui verè & propriè participat naturam humanam, quamvis non sit homo perfectus; eò quod non habeat usum rationis, nec exercitium libertatis. Ita similiter aliquis habitus moralis, aut intellectualis, potest esse verè & substantialiter virtus, aut scientia : quamvis non sit perfecta virtus, aut perfecta scientia, quia ratione subjecti in quo est, non habet suum statum perfectum & connaturalem. His praesuppositis, sic

§. II.

Conclusio affirmativa statuitur.

**D**ico igitur : Theologiam, etiam prout est in nobis viatoribus, esse verè, propriè, & substantialiter scientiam; licet defectu evidentiæ actualis, quae caret in hoc statu, non sit perfecta scientia, sed in statu imperfecto & praeternaturali. Ita communiter docent Thomista, cum S. Doctore hic art. 2. & in 1. sent. dist. 1. quaest. 1. art. 4. & opusc. 70. quaest. 2. art. 2. contra Valentiam, Vazquem, aliosque modernos, contendentes illam non esse verè, & substantialiter scientiam, sed habitum quendam innominatum, medium inter scientiam & fidem.

Probatum primò conclusio: Theologia, etiam prout est in nobis viatoribus, verè & propriè est virtus intellectualis: sed non potest pertinere ad aliam, ex quinque ab Aristotele, & D. Thoma assignatis in tertio notabili, quam ad scientiam, vel sapientiam. Ergo Theologia est verè & propriè scientia, vel sapientia, quae, ut infra dicemus, est perfectissima species scientiae. Minor constat: cum enim Theologia sit discursiva, non potest pertinere ad habitum primorum principiorum, qui attingit veritates immediate & sine discursu. Non potest etiam esse prudentia, vel ars; cum non pertineat ad intellectum practicum, sed speculativum, neque versetur circa agibilia & factibilia; cum experientia satis constet, omnem Theologum non esse virum prudentem, aut peritum artificem: ergo solum potest pertinere ad scientiam vel sapientiam. Major autem probatur dupliciter. Primò quia Theologia est habitus intellectus, infallibiliter inclinans ad verum: ergo & virtus intellectualis. Consequentia patet: nam per hoc distinguit Aristoteles 6. Ethic. cap. 3. virtutes intellectuales, ab opinione, & suspitione: quod haec non attingunt infallibiliter verum, & quia fieri potest (inquit) ut falsum existimatione opinioneque quis dicat; virtus autem intellectualis semper & infallibiliter verum attingit. Secundò, quia cum Theologia sit habitus perficiens hominem ad bene operandum, inclinando scilicet infallibiliter ad verum, est virtus humana: sed non moralis, cum non sit perfecta appetitiva partis; nec Theologica, cum non sit per se infusa, sed nostris

A actibus acquisita, ut infra dicemus; & cum tres tantum dentur virtutes Theologicae, fides scilicet, spes, & charitas: ergo est virtus intellectualis.

Secundò probatur conclusio, destruendo 3. praecipuum fundamentum Adversariorum, consistens in eo quod Theologia caret evidentiæ suorum principiorum, quam illi putant requiri ad veram & propriam rationem scientiae. Licet enim scientia subalternans habere debeat evidentiæ actualem suorum principiorum, ad rationem tamen scientiae subalternatam (qualis est Theologia, ut dicemus articulo sequenti) sufficit evidentiæ radicalis, vel aptitudinalis: id est sufficit, quod ex se & ex natura sua postulet conjugium cum subalternante, & in tali conjunctione habere evidentiæ actualem suorum principiorum. Ita colligitur ex D. Thoma hic art. 2. in corp. ubi sic habet. *Sciendum est quod duplex est scientiarum genus: quaedam enim sunt quae procedunt ex principis notis lumine naturali intellectus, ut Arithmetica, Geometria & hujusmodi: quaedam vero sunt quae procedunt ex principis notis lumine superioris scientiae, sicut per spectiva procedit ex principis notis per Geometriam & Musica ex principis per Arithmetica notis: & hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principis notis lumine superioris scientiae, quae scilicet est scientia Dei & Beatorum.* Quibus verbis aperte docet, quod licet in

C scientiis subalternantibus, requiratur evidentiæ formalis, & actualis principiorum; in subalternatis tamen, sufficit radicalis, vel aptitudinalis. Ex quo inferri, Theologiam esse verè scientiam, licet prout est in nobis viatoribus, careat per accidens, & ratione subjecti, evidentiæ actuali principiorum: quia per se & ex natura sua, petit conjugium cum scientia Dei & beatorum, cui subalternatur, & in tali conjunctione habere evidentiæ actualem suorum principiorum: quamvis illa, prout est in nobis, propter defectum evidentiæ actualis, non habeat modum, nec statum perfectæ scientiae. Sicut puer, licet sit D substantialiter homo, qui tamen caret usu rationis, & exercitio libertatis, non censetur esse perfectus homo. Ex quo facile intelliges celebre testimonium D. Thomae, quaest. 14. de verit. art. 9. ubi dicit. *Quaecunque sciuntur propriè accepta scientia, cognoscuntur per resolutionem ad prima principia, quae per se praesto sunt intellectui, & sic omnis scientia, in visione rei praesentis perscitur.* His enim verbis significat, quod ea quae sciuntur propriè dicuntur scientia (id est scientia quae est in statu perfecto & connaturali) cognoscuntur per resolutionem ad prima principia, quae praesto sunt intellectui (id est quae sunt evidenter cognita) & sic quod omnis scientia in visione rei praesentis perscitur. Quae ultima verba aperte declarant, illum non loqui de scientia, quantum ad essentiam, vel substantiam; sed solum, quantum ad perfectionem & statum.

§. III.

Solvuntur objectiones.

**O**bjicies primò : D. Thomas in 3. dist. 33. 4. quaest. 1. art. 2. quaest. 4. sic ait : *Si esset aliqua scientia, quae non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset ejusdem speciei cum aliis scientiis; neque univoce scientia diceretur.* Ergo cum Theologia non resolvat suas conclusiones in principia naturaliter cognita,



cognita, non est verè & propriè scientia, nec e-  
juldem rationis cum aliis scientiis.

Respondeo quod ibi D. Thomas probat vir-  
tutes infusas & acquisite differre specie : ad  
quod declarandum, adducit exemplum in scienti-  
is, & dicit quod si daretur aliqua scientia, quæ  
non procederet ex principiis notis lumine natu-  
rali, sed lumine supernaturali fidei, & divinæ re-  
velationis, non conveniret univoce, nec esset  
ejuldem rationis cum scientiis purè naturali-  
bus, utpote procedens ex altioribus principiis.  
Quare ex hoc testimonio solùm potest inferri,  
quod cum Theologia procedat ex principiis al-  
tioris ordinis, scilicet ex articulis fidei à Deo re-  
velatis, est diversæ rationis à scientiis naturali-  
bus, neque convenit univoce cum illis, saltem in  
genere proximo : non quod illa deficiat à perfe-  
cta ratione scientiæ; sed potius quia illam habet  
cum quadam eminentia & perfectione, quæ non  
convenit scientiis ordinis naturalis, ratione cu-  
jus est eminenter speculativa & practica, nec solùm  
habet rationem scientiæ, sed etiam sapientia,  
ut infra dicemus.

Obiicies secundò : de Deo non potest fieri  
demonstratio, nisi per effectus : ergo nec dari  
scientia, saltem à priori, & propriè dicta ; &  
consequentè Theologia quæ Deum habet pro  
objecto, non potest esse verè & propriè scientia.  
Consequentia patet : Antecedens verò proba-  
tur ex D. Thoma 1. contra gentes cap. 25. sic di-  
cente : *Ex his etiam patet quod Deus definiti non  
potest : quia omnis definitio est ex genere & differen-  
tia. Patet etiam quod non potest etiam demonstratio  
de ipso fieri nisi per effectus : quia principium de-  
monstrationis est definitio ejusdem de quo fit demon-  
stratio.*

Respondeo negando antecedens : ad cujus  
probationem, in primis dico, Divum Thomam  
ibi solùm negasse, posse dari de Deo demonstra-  
tionem à priori, per veram & realem causam,  
non autem demonstrationem quæ per causam  
virtualem procedat, quæ sufficit ad perfectam  
rationem scientiæ.

Secundò respondeo, D. Thomam ibi solùm  
negare demonstrationem perfectam de Deo, &  
quæ ad perfectam subjecti definitionem redu-  
catur; non autem negare omnem demonstra-  
tionis modum, sufficientem ad rationem scienti-  
æ à priori. Ut enim ipse docet hic art. 7. ad 1. *Li-  
cet de Deo non possimus scire quid est, utimur ejus effe-  
ctis, vel natura, vel gratia, loco definitionis ad ea qua  
de Deo considerantur.* Ex quibus verbis non li-  
cet inferre, scientiam quam de Deo habemus,  
esse tantum à posteriori, & per effectus : nam se-  
mel naturà Dei cognitâ per effectus creatos, vel  
per lumen divinæ revelationis, illâ mediante, à  
priori descriptivè cognoscuntur Dei proprietates,  
quæ à naturâ Dei, tanquam à ratione à priori  
& causâ virtuali dimanant.

Obiicies tertio : scientia propriè dicta, est ha-  
bitus certus & evidens : sed Theologia non est  
evidens, cum procedat ex principiis obscurè re-  
velatis, & fide divinâ creditis : ergo non est pro-  
priè scientia.

Respondent aliqui : de ratione scientiæ in  
communi, & prout abstrahit à naturali vel su-  
pernaturali, solùm esse attingere infallibiliter  
verum, per discursum formalem aut virtuales;  
evidentiam verò requiri solùm in scientiis natu-  
ralibus, propter certitudinem, & adhesionem  
intellectus ad verum : unde cum Theologia sit

Tom. I.

A ordinis supernaturalis (radicaliter saltem & ob-  
jectivè, ut infra dicemus) & habeat certitudi-  
nem sine evidentia, sine illa est verè & propriè  
scientia.

Verùm hæc responsio non coheret cum Do-  
ctrina D. Thomæ, qui 1. 2. quæst. 67. art. 3. ait, *De  
ratione scientiæ est, quod habeat firmam inhesionem,  
cum visione intellectiva.* Et in 3. dist. 23. quæst. 2. art.  
4. quæst. 1. docet quod fides non est virtus  
intellectualis, eò quod non habeat conspicuam  
veritatem. Ex quo apertè colligitur, quod si et-  
iam Theologia, per se & essentialiter esset inevidens,  
non esset virtus intellectus, nec proinde  
scientia.

Meliùs ergo respondetur, evidentiam eodem  
pacto esse de ratione scientiæ, quo esse difficile  
mobilem, est de ratione habitus. Unde sicut ha-  
bitui, qui per se, & ex sua natura, est difficile mo-  
bilis, per accidens, & ex conditione subjecti, po-  
test convenire esse facile mobilem : ita scientiæ,  
quæ per se & ex natura sua est evidens, per acci-  
dens & ex conditione subjecti, convenire potest  
obscuritas & inevidentia. Et ita contingit in  
Theologia, illa enim per se, & ex natura sua est  
evidens, lumenque gloriæ, quo Deus clarè vide-  
tur, postulat pro habitu principiorum : per acci-  
dens verò, & ex conditione subjecti, ei convenit  
esse inevidentem, & habere pro habitu princi-  
piorum lumen fidei obscurum. Quare cum dicitur,  
quod scientia est habitus evidens, hoc debet  
intelligi, per se & ex natura sua, vel de evidentia  
formali, aut radicali, ut antea exposuimus.

Obiicies quartò : de singularibus & contin-  
gentibus non potest dari scientia, ut docent Phi-  
losophi : sed Theologia versatur circa singula-  
ria, agit enim de Christo, de Beata Virgine, de  
Adamo, de Antichristo, &c. Et circa contingen-  
tia, nam disputat de actibus humanis, de pec-  
catis, de merito, & justificatione, quæ sunt a-  
ctiones liberæ & contingentes : ergo non est sci-  
entia.

Respondeo quod quamvis de singularibus &  
contingentibus, non possit dari scientia natura-  
lis, bene tamen scientia revelata : id est, proce-  
dens ex fide, & divina revelatione, qualis est  
Theologia. Ratio disparitatis est, quia scientia  
purè naturalis, dependet ex lumine naturali pri-  
morum principiorum, quæ versantur tantum  
circa universalis, & necessaria, scientia verò su-  
pernaturalis & revelata, dependet à lumine su-  
pernaturalis fidei, & divinæ revelationis, se ex-  
tendens etiam ad singularia & contingentia,  
quæ prout subsunt tali lumini, necessaria sunt,  
necessitate saltem infallibilitatis, ut docet D.  
Thomas 2. 2. qu. 1. art. 3. his verbis : *Deum incar-  
nari, secundum se consideratum, fuit possibile, etiam  
post tempus Abrahæ : sed secundum quod cadit sub præ-  
scientia divinâ, habet quandam necessitatem infalli-  
bitatis ; & hoc modo cadit sub fide, unde prout cadit sub  
fide, non potest esse falsum.*

Obiicies quinto : scientia subalternata natu-  
ralis, in absentia subalternantis, non est verè sci-  
entia, sed opinio, vel fides humana : ergo simili-  
ter Theologia, ut est in nobis, maioribus, in qui-  
bus est separata à scientia beata, cui subalternatur  
(ut dicemus art. sequenti) non erit verè &  
propriè scientia, sed fides, vel opinio, aut potius  
aliquid medium inter scientiam & fidem.

Respondeo primò, negando antecedens : mul-  
ti enim ex Schola D. Thomæ, non improbabili-  
ter existimant, scientias subalternatas ordinis  
natura-



naturalis, in absentia etiam subalternantis, esse verè scientias, quantum ad substantiam, quamvis tunc non habeant statum & modum perfectæ scientiæ, eo quod non resolvant suas conclusiones in principia clarè cognita; eo ferè modo quo puer est substantialiter homo, quamvis non sit in statu perfecto & connaturali. Sed quidquid sit de hac sententia, de qua disputant Philosophi in Logica, & Metaphysica.

Respondeo secundo, dato & non concessio antecedente, negando consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis est, quia scientia subalternata ordinis naturalis, quales sunt Musica, Perspectiva, & Medicina, quando sunt separata à subalternante, dependent in certitudine suorum principiorum, à fide humana, quam discipuli adhibere debent Magistro testificanti veritatem illorum: quæ fides, cum sit fallibilis, non potest influere certitudinem, & infallibilitatem in talia principia, requisitam ad rationem scientiæ. Theologia verò in nobis viatoribus, dependet in certitudine suorum principiorum à fide divina, quæ est infallibilis, & quæ (ut infra dicemus) majorem in eam influit certitudinem, quam habitus primorum principiorum in scientiis naturales.

9 Obiicies ultimo: de eadem veritate non potest simul esse fides & scientia, ut dicemus in tract. de fide disp. 1. art. 6. Sed Theologia & fides, circa eandem veritatem versari possunt: hæc enim veritas, *Christus habet humanam voluntatem*, cognoscitur per fidem, cum sit definita ab Ecclesia, & per Theologiam, cum sit conclusio per bonam consequentiam deducta ex illo fidei principio, *Christus est perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens*: ergo Theologia non est scientia.

Huic objectioni dupliciter responderi potest, juxta duplicem Thomistarum sententiam: aliqui enim existimant, quod licet cum fide non possit simul stare scientia clara de eadem veritate, benè tamen scientia obscura, qualis est Theologia; tota enim ratio, ob quam fides non potest esse cum aliis scientiis, de eadem veritate, est propter eorum evidentiam, & fidei obscuritatem. Dicunt ergo, quod sicut nulla est repugnancia aliquid esse revelatum in alio principio, & immediatè in seipso (v. g. quod luna eclipsim patitur, continetur in principio Astrologiæ, & rursum in seipso est experientià manifestum) ita non repugnat, quod de eadem veritate sit fides, quæ est de immediatè revelatis, & Theologia, quæ est de revelatis mediata & virtualiter in principis. Hæc solutio & doctrina valde probabilis est, & juxta illam facilè solvitur argumentum, distinguendo majorem. De eadem veritate non potest esse simul fides & scientia clara, seu ex principis evidentibus & lumine naturali notis procedens, concedo majorem, Non potest esse scientia obscura, seu procedens ex principis obscuris, & per solum fidei lumen cognitis, nego majorem.

Secundo responderi potest, juxta aliorum sententiam, concessa majori, negando minorem, nempe quod Theologia & fides circa eandem veritatem versari possunt: nam quia intelligentia est habitus principiorum, & scientia conclusio- num, non possunt esse de eadem veritate & ob- jecto, etsi utraque habeat claritatem & evidentiam: ergo cum fides sit habitus principiorum Theologiæ, & ipsa Theologia habitus conclu-

sionum, de eadem veritate & obiecto esse ne- queunt, licet utraque sit obscura.

Confirmatur: fides facit assentire veteribus immediatè revelatis, & propter testimonium dicentis duntaxat: Theologia verò assentire facit veritatibus mediataè revelatis, & propter rationem deductam & principis: sed implicat contradictionem, ut aliquis eidem veritati tantum assentiat propter testimonium dicentis, & propter rationem deductam ex principis, cum assentire solum propter testimonium dicentis, quodlibet aliud motivum excludat: ergo & quod habeat fidem & scientiam obscuram de eadem veritate & obiecto. Unde ad probationem in contrarium, juxta illorum Authorum sententiam, dicendum est, eandem veritatem posse esse revelatam immediatè in seipso, & mediataè in principis fide divina creditis, sicque in diversis subiectis posse esse de illa fide & Theologiam, non posse tamen eundem hominem simul de illa fidem & Theologiam habere, quia ut habeat fidem, requiritur ut illam credat, solum quia immediatè à Deo revelata est, & ab Ecclesia definita: qui autem Theologiam habet, non solum propter hoc illi assentit, sed etiam propter medium demonstrationis Theologicæ. Unde sicut licet Philosophus Christianus, cognoscat Deum esse unum, per duplex medium, scilicet Dei revelationem in scripturis expressam, & medium demonstrativum, non tamen propterea habet simul de illa veritate fidem & scientiam claram, ut dicemus infra tract. 1. disp. 1. art. 2. & fusius exponemus in tract. de fide, disp. 1. art. 6. Ita licet Theologus, huic propositioni, *Christus habet humanam voluntatem*, per duplex medium, nimirum divinam revelationem, & demonstrationem Theologicam, assentiat; non tamen habet de illa simul fidem & Theologiam, sed solum Theologiam; quia, ut dixi, ut quis per fidem assentiat alicui veritati, debet illi assentire tantum propter testimonium Dei dicentis & revelantis: Theologus autem, non solum illi veritati assentit, propter testimonium Dei & Ecclesiæ, sed etiam propter medium demonstrativum quod habet. Utraque solutio probabilis est, unde eruditus Lector eligere poterit eam quæ sibi videbitur probabilior.

## ARTICULUS II.

*Utrum Theologia, quæ est in nobis viatoribus, sit proprie subalternata scientiæ Dei, & beatorum: ac proinde remaneat in Patria?*

### S. I.

*Premittuntur quæ apud omnes sunt certa.*

Notandum primò: inter scientias, alias esse subalternatas, & alias subalternantes. Subalternata dicuntur illæ, quæ ponuntur sub aliâ superiori, à qua dependent in certitudine, & evidentia suorum principiorum. Subalternantes verò illæ vocantur, quæ talia principia demonstrant, & tradunt scientiis inferioribus: v. g. Musica dicitur subalternari Arithmeticæ, & Perspectiva Geometriæ; quia in Arithmetica, principia Musica, & in Geometria, principia Perspectiva notificantur, & demonstrantur.

Notandum secundo: ad subalternationem scientiæ naturalis, tres præcipue requiri condi- tiones.